



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

Svccinctam Doctrinarum Asceticarum Svmmam Comprehendens - Quam
ad majorem omnium in Ascési proficere cupientium utilitatem ac
subsídium

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1685

§. 5. De Tempore.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48214](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48214)

teste Seneca, dicere : quodcumque semel dixi, fixum, ratumque sit : non enim est turpe cum re mutare consilium ; nec levitas censeri debet, à cognito & damnato errore discedere. Oportet enim, ut Plato sapienter dixit, tanquam in telorum jactu, ad id, quod ceciderit, res suas aptare, quocumque modo ratio id optimum esse duxerit.

§. V.

De Tempore.

I. Est numerus motus secundum prius & posterius, juxta Aristotelem l. 4. phys. de quo sequentia Aristetæ bene notanda sunt.

II. Primum est, ut sciat, quòd nullum tempus æstimandum sit, nisi quòd in bonis operibus consumptum est. Hinc Saul duobus duntaxat annis regnasse dicitur, quia licet multis annis regnaverit, illis tamen solis regnasse dicitur, in quibus innocens & humilis fuisse perhibetur, ut ait S. Gregorius, qui & addit : Illo ergo solùm tempore nos vixisse gaudeamus, quo innocenter & humiliter viximus ; nam illa tempora, quæ in sæculi vanitate, & fluxa carnis vita consumpsimus, quasi perdita minimè memorantur. Unde & Richardus Victorinus, melior est, inquit, senectus morum, quàm annorum : meritorum, quàm temporum. Perfecta est ætas, ubi perfecta virtus est. Nec malè Poëta :

Vive precor, sed vive DEO : nam vivere Mundo
Mortis opus ; una est vivere vita DEO.

III. Alterum est, ut medium nôrit, quo præteritum tempus redimere queat ; id quod præclare S.

X s

Tho-

Thomas ostendit, dicens : Contingit quandoque, quòd aliquis per magnum tempus vitæ vivit in peccato, & hoc est tempus perditum : sed quomodo redimet, cùm homo non sufficiat ad debita persolvenda : respondeo : dicendum est, quòd tantò magis debet vacare operibus bonis, quantò priùs inficit malis. Nam, ut S. Hieronymus ait, subitus calor longam teporem vincit. Hinc cùm quondam S. Gertrudis peteret à DEO & Sponso suo Christo, ut peccatorum suorum, & defectuum non recordaretur amplius, rapta est à Christo in cælum, & cum veste lacinis & centonibus consueta coram Patre cælesti apparuit : ubi, quamprimum Christus pro ea peroravit, & pretium vitæ ac sanguinis obtulit, derepente vestis illa, in qua omnes illius defectus distinctè representabatur, laminâ aureâ, instar chrystalli lucidâ, cooperta fuit.

IV. Tertium est, ut firmiter statuatur reliquum vitæ tempus bene impendere, eumque in finem meminere, vitam nostram, teste S. Gregorio Nazianzeno, quasi mercatum esse, cujus dies, cùm abierit, tempus non erit emendi, quæ velis. Dicit proinde cum S. Chrysologo : Vivamus DEO paululum, quæ sæculo viximus totum : dedimus corpori annum, deimus animæ paucos dies : tempus est, ut aliquando domui tuæ provideas.

V. Quartum est, ut sciat modum legitimum tempus suum dispensandi, quem quidem jam pridem Bias Philosophus docuit, dum dixit, ita metiendum cuique esse tempus, quasi diu & parùm victuri simus.

* *
*

§. VI